# DE VERA COME-
# tæ ſignificatione, contra

ASTROLOGORVM OMNIVM VA-
nitatem libellus, nuper natus & æditus

Iohanne Ferrerio Pedemontano authore.

PARISIIS
Ex officina Michaëlis Vaſcoſani.
M. D. XL.

Io. Ferrerii Pedemontani ad pium lectorem Carmen.

Cenſor ades, lector, faueas quòd tempore paruo,
Parua licet videas, candida muſa dedit.
Forſitan in celeri ſiquæ deformia curſu
Conſpicis, eſto pius, ſi pia vota placent.
Impulit huc ſtudium tenero ſuccurrere Regi,
Ne incautum opprimeret vana ſuperſtitio.
Hoc etiam ſuaſit tempus, tum prouida rerum
Relligio: hinc valeant dura ſupercilia.
Num bene ſuſtulimus veterum mendacia vatum
In paruo? magnum Calliopea feret.
Sic mihi pro meritis opto nunc candide lector,
Si quid ceſſatum eſt, non meminiſſe velis.

Vale. 1531.

# ILLVSTRISSIMO SCOTORVM Regi Iacobo eius nominis quinto, Io. Ferrerius Pedemontanus, felix ac fauſtum Imperium.

CVM nuper quorundam ſuperſtitioſorum hominum audaciam adcuratius expenderem, Rex illuſtriſſime, qui tam perditè támq; ſupinè vecordi quadam temeritate de futuris pronunciant, exiſtimaui non me luſurum operam, ſi vnius diei ſtudium in diſſecandis eorum vanitatibus pro vera religione collocarem. Idq; eo feci lubentius, quòd te amantiſſimum veritatis perpenderem: vt tandem deliteſcant, qui tantum aſtris deferunt, vt in pientiſſimū IESVM ſint adeò impii, quàm qui maxime. Proinde, ne poſthac ſomniatores huiuſmodi, ne dicam impoſtores, tibi, ac pio cuiq; faceſſant negocium, paraui hîc aliquot ex media philoſophia rationes, quæ ſubdolorum Aſtrologorum retundant audaciam. Tu verò relictis his vanorum hominum ſubfrigidis nugis (vt qui maximè pietatem colas) ſpem tuā vnicam, nō in aſtris, ſed in his quæ ſunt ſupra aſtra, hoc eſt, in ſanctis dei, ac potiſſimum in clementiſſimo IESV domino noſtro filio Dei viui colloca, & aſſiduis orationibus implora, qui tuos velit per omnia dirigere conatus, vt perpetuò ſibi placeat obſequium ſeruitutis tuæ. Sic enim experiêris quàm nihil in hominibus virium habent aſtra, tantū abeſt vt quidpiam mali portendant Cometæ. Tum etiam omnia tibi, ac regno tuo, non Cometa, ſed deo opt. max. cuſtode felicius

ſuccedent. Interea tamen hanc noſtram (qualemqualem) tuo nomini ampliſſimo conſecratam opellam æqui boniq; conſules. Omnipotens I E S V S ad Neſtoreos annos te incolumem ſeruet. Apud Perthum in Regno tuo. X V I I I. Cal. Septemb. M. D. X X X I.

## IN LAETISSIMAS SECVNDAS NVptias Iacobi eo nomine quinti Scotorum Regis, & d. Mariæ à Lotoringia, Claudii Ducis à Guiſa filiæ, Epigramma.

Qualis in agreſtem pulchra eſt Pomona colonum,
Talis & in te, Rex, eſt mihi viſa Venus:
Illa etenim agricolæ fructus præmittit acerbos,
Quos longo dulceis excoquat igne dies.
Sic & acerbauit primos tibi Cypris amores,
Quos tulit immiti Parca ſeuera manu.
At bene iam ſuaues alios tibi læta reponit,
Quos ex te fœtos lætior ipſe foues.
Non dubium magno quin hanc tu Rege repleris,
Tam facilè hoc vteri quæ graue geſtat onus.
Scilicet hinc cernes (mens hoc mihi coniicit) olim
Natorum natos ſede ſedere tua.
Quod ſuperi felix fauſtumq; tibiq; tuæq;
Conſorti, & proli dent, populóq; tuo:
Chriſtus vt ipſe tuo regnet latè vndiq; regno,
Et functum vultu te beet vſq; ſuo.

AMPLISSIMO VIRO, TIT. S. STEphani in monte Cœlio Cardinali, domino Dauidi Betoun, S. Andreæ Archiepiſcopo, Scotiæ primati, legatoq; nato, domino ſuo obſeruandiſſimo, Io. Ferrerius Pedemontanus S. P. D.

ADMIRANDVS in primis eſt veræ pietatis amor, Cardinalis ampliſſime: magna eſt domini noſtri IESV, quam veneramur, religio, non ſolùm ad bene beateq; viuendum, verum etiam ad vniuerſas ſeditiones, turbas, ſchiſmata, & hæreſes ſapienter ſummouendas. Hęc enim ſola ab orbe condito omnes ſemper cum inter magnos viros & principes, tum inter populos vniuerſos ſimultates extinxit, & pacem tranquillitatéq; optatiſſimam apud ſingulos reſtituit. Multa etiã nunc videmus, ne ſemper veteres repetamus hiſtorias, per pietatem coniunctiſſima, quæ alias proſtrata, & in omnes partes iacerent diſſipata. Mirũ certè verę pietatis vinculum ad omnes Reipublicæ partes in officio cõtinẽdas. Hęc vna eccleſię Chriſti dignitatem conſeruat, regum & principum potentiam illuſtrat, magiſtratibus authoritatem addit, & vniuerſum populum ad recti officii munera nullo negocio pertrahit. O ſanctum Chriſti vinculum. O patris cœleſtis erga humanũ genus ſumma charitas. Quid enim futurę erant reſpublicę ſine pietate, niſi quod aliquando extiterunt? Prò barbarie, & beluina inter mortales vita, accedente religione cicurati ſunt animi, conſtitutę ciuitates, & inter

externos commercia,natę leges, vniuerſusq́ politicus iſte ornatus, qui tam eſt aſpectu iucundus, gratus omnibus,& cū vtilitate communi cōiunctiſſimus. Beata igitur Regna, felices reſpublicæ,quibus inſedit animo,Chriſti religionem ſartam tectam tueri. Nemini dubium,bene nos tandiu habituros, quandiu ſanctiſſimum domini IESV fœdus inuiolatum ſeruauerimus:contrà vero, ſiquo modo obrepſerit eius vel negligentia,vel cōtēptus.Quid enim aliud expectari poteſt rupta & neglecta Chriſti domini pietate ſimul & pace,quàm bellū,furta,latrocinia,homicidia,ſacrilegia, ſtupra,inceſtus,adulteria,atq; omnis malè viuēdi licētia?Abſit a verè piis hęc malorū omniū lerna,rerumpublicarū euerſio,& totius apud homines beneuolentię interitus.Talia mihi in mētē veniebát, Cardinalis maxime,ante nouē annos,cùm in veſtra iſta Scotia libellū hunc de vera Cometę ſignificatione,pro pietate aduerſus Aſtrologos,illuſtriſſimo veſtro Regi Iacobo eius nominis quinto tumultuāter cōſcriberē. Optabā tum omnes ea de re falſas opiniones,quę vulgo exaudiebātur,extictū iri.Nec omnino(vt arbitror)malè ceſſit ille meus conatus, ergaq́ verā pietatē cōſtātia.Et ſperēt in
Pſal.9. te(īquit pſaltes)qui nouerūt nomē tuū, quoniā nō dereliquiſti quęrētes te domine.Sēper credidi,vanū illum ī populo diſſeminatū errorē de Cometa,futurū vaniſſimū: quod exitus nūc ipſe docet.Nā incolumi ſaluoq́ rege veſtro vſq; in hāc diē,& florēte Republica,nemo iā dubitarit taliū iudiciorū de futuris ſuſpiciones eſſe falſiſſimas,& à Chriſtiano viro longius arcēdas.Eapropter exiſtimaui me operæpreciū facturū,ſi ex tanto interuallo

teruallo memoriā illius tēporis refricarē,partim vt mēdaces tūc diuinationes cōfundātur,partim vt meę erga tuā reuerentiā obſeruātię ſignificationē literis teſtatam redderē.Id quod iādudum feciſſem,niſi maximus meę paruitatis erga tuā pręcellētiam pudor me retraxiſſet. Nuper verò,& ante aliquot menſes, vbi infinitas tuas virtutes mihi honeſtiſſimus atque optimus Robertus Reid abbas à Kynlos,meorū ſtudiorū patronus liberaliſſimus,ſuis epiſtolis deprędicauiſſet,in animū induxi meū,vt quod ſolus aggredi nō auderē, mecœnate illo meo tuę amplitudinis obſeruātiſſimo adhortāte,ſubire ſuſtinerē.Accipies igitur frōte ſerena hoc meū pro vera pietate munuſculū,à tua dignitate,qua grauiſſima dei munera obire ſoles,nequaquā abhorrēs.In quo legēdo,ſi fortè ob ipſius argumēti pietatē,& eius viri quē ſequor,grauiſſimā authoritatē & cādorē,te nōnihil delectarit,incredibilē profectò voluptatē capiā:neq; id tā mea,quàm ipſius Roberti abbatis cauſa,cuius auſpiciis talia molimur.Sin autē in libello meo fuerint,quę nō ſatis tibi & doctis omnibus probētur,ĩperitiā tu quidē meā accuſabis,Roberti verò voluntatem tui ſtudioſiſſimam amabis, & ſingulari bonitate hominē excuſatum habebis:qui & per ſe,& per alios,quibuſcunq; poteſt rationibus tuę pręcellentię gratificari concupiſcit. Aliquando fortè dabitur,vt maiora & excultiora,non ſine tui nominis ampliſſimi commendatione,in lucem proferamus.Interea bene valebit & mihi & vniuerſę reipublicę veſtrę tua reuerentia,cum illuſtriſſimo iſto rege ad verę pietatis munera,& recti officia,ſemper intenta.Lutetię Pariſiorū.Cal.Feb. 1540. Calculo Ro.

## IN IOHANNIS FERRESII LIBELlum de Cometæ ſignificatione, Ludouici Cyanei Epigramma.

Diſcite mortales, iam non trepidare Cometas,
   Nec velut irati ſigna putare Iouis:
Nanq; vbi iuſta ſubit calidi ſicciq; vaporis
   Copia ad æthereas conglomerata plagas,
Senſim concipiens ignem, qui proximus ardet,
   Splendorem rutili ſyderis inſtar habet:
Et modò demittit barbam, modò tollit in altum,
   Igniuomas varians pallidulâſq; comas.
Nec cęlo prius abſcedit, quàm exarſerit omnis
   Materies ex qua conglomerata coit.
Tamq; opus eſt phyſeos, q̃ aut lunę aut ſolis eclipſis,
   Quæq; ruunt medio fulgura lapſa polo.
Ergo metus vobis iſtos Ferreſius aufert,
   Hęc ſi agnoſſe modò tantula ſcripta vacat.

# DE VERA COMETAE SIGNIFICA-tione,aduerſum Aſtrologos per Io. Ferrerium Pedemontanum libellus.

## Proœmium.

SCripturus de futilibus quæ per aſtra fiunt iudiciis,aliquot in primis hîc hypotheſes ex media ſubſcribam aſtrologia,vt ſubindè pateat quàm vana ſit ea ſyderum diſciplina, nec minus profeſſorum irreligioſa atq; impia prognoſtica,quæ nunc paſſim ab indoctiſſimo quoq; tanq̃ de cælo reſponſa & diuina oracula ſuſpiciuntur ac venerantur. Idq; faciam paucis,ne in re varia,ac nullius momenti,temporis iacturam feciſſe dicar,vel potius,dum in ſtultis rebus operam meã colloco,omnino bonis inſanire prędicer. Sit itaq; huiuſce rei qua de agimus,cũ à partitione tum à definitione Dialecticorum more tale initium.

Aſtronomię & aſtrologię cũ finitione differentia.

Aſtronomia,eſt facultas quæ cum ſyderum mẽſuram, tum etiam ambitum motumq; contemplatur.

Hæc enim docet, quo in loco Saturni,Iouis,Lunæ, Arcturi, Hœdorum, Hyadûmve ſtellæ ſint,& quibus anni partibus eæ oriri,obire,deficere,conſiſtere,ac progredi ſolent.

Aſtrologia, eſt facultas,& ea coniectatrix, quæ ex ambitu ac cõplexionibus ſtellarum futura pronũciat:

Lib. de fato Vt quod Cicero, Neminem qui Sirio ardentiſſimo ſydere oriente naſcitur, aqua interiturum ait, ad Aſtrologiæ naturam pertinet. Huc quoq; ea ſpectant, quæ primo libro Lucanus ſcripſit:

" Enſiferi nimium fulget latus Orionis.
Vnde armorum rabies colligitur.

Quot ſtellarum genera ſecundũ Aſtronomos.

Quaterna ſunt apud Aſtronomos ſtellarum genera. Fixæ, quæ in cælo hærent. Errantes, quæ ſub eo feruntur. Deciduas eſſe aiunt, quas noctu decidere videmus. Crinitas, incendia magna in aëre hærentia: quos Græci ἀπὸ τῆς κόμης κομήτας dixere.

De cauſſa efficiente, & quæ ſit materia Cometæ, ex Ariſtotele.

Cauſſæ efficiẽtes Cometen ſunt apud Ariſtotelem, Sol, Luna, Planetæ, & Aſtra. Materia verò Cometæ, eſt exhalatio, id eſt, materia calida & ſicca vi aſtrorum ad ſupremam aëris regionem eleuata, quæ illic ab igni æthereo accenditur inflammatúrq;.

Significationes Cometæ, quæ veræ perhibentur.

Cometa, opus eſt naturæ: ideò naturales habet ſignificationes, & non timendas: vt plæriq; ſuperſtitioſuli autumant. Quemadmodũ Sol ac Luna interdum eclipſantur, hoc eſt luminis defectum nobis videntur pati, nec portendunt quidpiam mali, ſed ſignificant terram interpoſitam à Sole ad Lunam, vel Lunam à Sole ad terram in ecliptica linea: ita etiam Cometa, eſt exhalatio

exhalatio calida & ſicca vi ſyderum ad ſupremū aërem attracta, quæ nihil prorſus mali in ſe habet, ſed ſiccitatem maximam, ac ventorum procellam, tum caliditatem indicat præſignátq;.

Quod à Cometa malum impẽdêre aiunt aſtrologi, illud eſt cū voluntariū, tum ſuperſtitioſum.

Si malum impendêret ex Cometa mortalibus, quemadmodum vulgares prædicant, id nobis ſignificaſſet in primo Meteororum philoſophus, vbi de Cometa & huiuſmodi impreſſionibus quæ in aëre fiunt, abunde diſſerit. Verùm cùm nihil ea de re ſcribat, præterq̃ quòd natura fit, par eſt credere, quicquid poſtea ab hominibus in eo negocio eſt confictum, id initium habuiſſe vel à fictionibus poëticis, vt illud Lucani:

'Et terris mutantem regna Cometem. "

vel à falſa religione adulatorum hominū, qui nihil nõ faciunt quò timidulos principes, vnde ſibi victum parent, in metum & trepidationem coniiciant.

Nec valet illud in hac re perfugium, quod nonnulli ſæpenumero inculcant, non fuiſſe planè ipſi Ariſtoteli exploratum quid Cometa portenderet, vt liquet multis in rebus de quibus cottidie noua à viris doctiſſimis excogitantur. Obiectio.

Diſpar enim ratio eſt rerum ſingularum, & Cometę. Nam de rerum proprietate tanta ſuppetit fœcunditas, vt ne multis quidem earum virtutes omnes, etiam per multa ſecula, ſcire contingat: tantum abeſt vt vnus, & paucis annis, adde & apud vnam gentem ſolùm hoc Dilutio.

ſciſſe potuerit. Sed de Cometa tam exploratum fuit Ariſtoteli,quàm quibus maxime,idq; variis nominibus. Primùm longa Aegyptiorũ obſeruatione,etiam multis ſeculis ante ipſum Ariſtotelem. Tum etiam,quia de Cometa eadem apud omnes ſit ratio. Nam in aëre fit, & frequenter, & cauſis ſemper vniuſmodi. Quarè de eo potuit,& quidem facilè,proprietates collegiſſe Ariſtoteles, ſi inde tales quales à multis nunc temere effutiuntur, ratione aliqua effluxiſſent. Sed cùm hoc eſſet planè vanum,nec vllo inniteretur ſolido fundamento, conſultè tantas atq; adeò futiles nugas philoſophus ſilentio tranſmiſit.

Obiectio. Subinde tamen recinunt mihi nugiuenduli homũciones quod Iacobus Faber in paraphraſi Meteororum pręter literę Ariſtotelis ſententiam adiecit: cuius
" verba hęc ſunt Cometę( inquit ) ſignificationes pręſi-
" gnãt bonorum ſterilitatem,ventorum impetum,bella,
" principum lethũ, & ſeditiones,
" Tum ſteriles agros,& inania vota coloni,
" Siccus & efferuens ſęue Cometa facis.
" Cùm crinem oſtentas,tum ventorum impetus vrget
" Oppida:tu bella ſanguinolenta moues.
" Principibus lethum tu ſeditioſa minaris.
" Sic variis mundus ducitur auſpiciis.

Hęc Faber. Sed quantum iſthęc à philoſophi ſententia abhorreant,vel luſcioſo homini eſt clariſſimũ. Vbi vnquam tã multiplici varioq; de re quapiam iudicio pręterquam ĩ problematis vſus eſt philoſophus? At in Meteoris non problemata,ſed rerum naturalium cau-

ſas

ſas,quę cõſtant certiſſimè,tractare videtur. Quis enim prętereà ignorat, ſi liceat in diuerſas partes futurorum prognoſtica accommodare,nihil eucnturum quod nõ ſecundum iſtorum vaticinia aliqua ratione fieri conſpiciatur?Sic quidam olim ventorum procellam luce ſubſequenti futuram prędixerat,quę cùm non contigiſſet,& ab omnibus irrideretur,rem aliò torſit. Nam audita regis cuiuſdam morte,eam dixit procellam quã preuiderat.O egregium impoſtorem. Quid enim hoc eſt(non poſſum ſignificantius dicere)ſi non ſit Apollinis ad Pyrrhum regem ambiguum oraculũ,vel pluſquã Cumæę Sibyllæ pertubata folia? Sed valeant qui nihil interdum penſi habent quid ſcribant,vel tũ maximè,cùm ea quę ſcribuntur,è diametro pugnant cum religione quam omnes ſub Chriſto domino & ſeruatore profitemur.

Sed faceſſunt interim nonnulli viris piis negocium cum cantatiſſimis illis hominum qualitatibus,dicentes exhalationem eſſe calidam & ſiccam, ideò in Principibus viris vim habere, quòd illo apparatu vario & planè pontificio Principes in menſis vtantur calidorũ & ſiccorum.O ridiculam conſecutionem. Præſtabat hoc dixiſſe de colonis, quàm alioqui de magnatibus, qui nõ habẽt interdum niſi forſitã aquam cuius opera calida & ſicca perfundãt: diuitibus interim os colluentibus,idq; frequenter,ac variis etiam modis. Error quorundã philoſophorũ.

Sed quæſo, nũquid ſi aſtrum aliquod in cælo effulſerit humidæ ac frigidæ qualitatis, protinus hoc trepidãdum ſignum in procerum ac regum caput reiiciet Ratio ſuperiori oppoſita.

temerarii Aſtrologi: quòd ſæpè potent magnates, adde & ex frigidiſſimis ac exoticis vinis, vel aliis rebus ad refrigerandū arte temperatis? Cur non etiam in plebeios viros, qui ſæpenumero tument frigida? Non diſcretos habēt (crede mihi) aſtra homines, ſi forſitan in nobis quid poſſunt: ſed hoc eſt Aſtrologorum commentum, qui nihil non adſcribunt diuitibus, modò cedat in ſuum ipſorum compendium. At miſeros quoſq; habent ludibrio, quia inde nihil corradere pecuniarum poſſint.

Aliquot phyſicorum opinio futilis.

Huc adde aliquot phyſicorum placita, qui Cometā in cholericis agere pronunciant, quòd ſit eiuſdem rationis exhalatio Cometæ materia cum ipſa cholera. Vtraq; enim calida & ſicca à medicis perhibetur. Quo fit, vt cùm adparent Cometæ, fortius torqueantur cholerici. At hinc reges excipiuntur, vel ſaltem communem cum multis aleam ſubeunt. Quarè liquet Cometam, ſi quid tamen mali deſignat, non ad reges tantum illud ſpectare, ſed ad eos omnes qui bili flaua laborāt. Ergo doloſum eſt, & legibus animaduertendum, ſi qui ſunt huiuſmodi temerarii, qui in horrendos mortis timores Reges principéſve vſq; adeò vanis nugis coniiciunt.

Quòd Cometa adparet frequenter, nec forſitan vel de media plebe quis moritur.

Alia ratio, & quidem acruoſa.

Nemo nō videt ſereno claroq; cælo per noctem ſtellulas ſæpius in aëre volitantes tanquā fauillas, & ignitos carbones. Sunt enim hi Cometæ, ſi par eſt credere philoſophis, qui ita rem habere deſcribunt. Inquiunt

enim

enim illi: Exhalatio quæ vi aſtrorum ſurſum tollitur, vel intra ſepta Zodiaci eleuatur, vel ſupra extraq; Zodiacũ. Si in Zodiaco, exhalatio illa à ſole conſumitur, vt minor adpareat. Nam quum Sol Zodiacum pererret, ea fortius adurit quæ in Zodiaco ſunt, minus quæ ſupra. Ideò exhalatio maior accenſa extra Zodiacum, maiorem flammam excitat.

Nunc ridere lubet ſtupidos illos homũciones, qui tam ſupinè omnia profanant. Dicant, rogo, Si eadem eſt exhalatio quæ in Zodiaco, ac ea quæ ſupra Zodiacum fit: quarè toties non inculcant iſtos vanos rumores Regibus, quoties volitantes ſtellas vident? Nam ſi eadem cauſa (ad idem intelligo) pares ergo producet effectus. Sed hoc in fauillis illis eſt vaniſſimum. Ergo & illud. Dii boni, vbi adinueniemus ad reipublicæ gubernacula tot reges, ſi ſingulæ exhalationes, ſingulos vel etiã omnes interimãt principes? Credo nullus erit poſthac ſub huiuſmodi exhalationibus, qui velit principem virum agere, maximè cùm fiet iſthæc principũ conditio deterior multò quàm plebeiorũ. Quod planè vaniſſimum eſt. Quo fit vt exhalatio, qualiſqualis fuerit, nullum portendat malum huiuſmodi, nec regi, nec cuipiam reliquorum hominũ. Ridentur qui Cometã Regum mortẽ portẽdere aiũt, nec immerito.

Quid eſt ergo quòd tantæ ſit admirationis Cometa, ſi nihil ſit quod poſſit hominibus officere? Profectò illud vnum eſt, quòd nemo niſi planè rudis iſthæc mirari ſolet: inter quos annumerare placet ineptos quoſdã ſophiſtas, qui nihil penſi habent quod ſcribant, ſed vndequaq; corrogata, ne dicam compilata, non ita ſana Admiratio nis parens eſt ignorãtia.

dogmata in ſuos ipſorum commentarios infarciant, ne nihil non ſciuiſſe videantur. Sed ſcioli homines ſe ipſos traducere, ac viris probis irridendos exhibere nō verentur. Ideò bardi.

Expellit timores cognitio.

Stupebat ac trepidabat olim in bello Macedonico Ro. exercitus viſo Lunæ defectu, niſi ſuccurriſſet C. Sulpitii prudētia, quī primus Romanorū defectus Solis & Lunæ rationē in vulgus adferre auſus eſt. Nam tribunus militum, Romanū exercitum magna animi moleſtia & ſolicitudine liberauit. Pridie enim quàm cum Perſe rege pugnaretur, productus à P. Aemylio Conſule in concionem ad prǽcinendam eclipſim, naturalemq́ eſſe oſtendit, & volumine poſtea ædito huius effectus rationem explicauit. Sed iſti non tam facilè bonorum iudiciis adquieſcunt, quàm Romani C. Sulpitio diſſerenti factitarunt. Quarè tandiu in errore futuri ſunt, quandiu vana hæc ſuperſtitio eorum mentes, id eſt, credulorum, adumbrabit.

Plin. lib. 2 cap. 12. natu. hiſtor.

Adde & huc. Si Cometa id vnum portendit Principibus malum, qui fieri poteſt, vt nō omnibus ex æquo id contingat? Sed non omnibus hoc vnum venire conſueuit. Igitur Cometa non agit in homines: vel ſi tamē agit, id eſt quum lubet in vno vel altero rege, in aliis nequaquam. Quod non tam eſt abſurdū dicere, quàm adeò male de rebus per naturam parum candidi viri ſuſpicantur. Et ne parum ſolida ſit noſtra hæc ratio, exemplum ex hiſtoria Scotorum (quādoquidem hoc tempore in Scotia agimus) ab Hectore Boëthio conſcripta depromam. Illic enim vir monimentorum veterū

Hectoris

terũ ſcrutator diligentiſſimus,ac indagator acerrimus, in tá lõgo regũ ordine ſepties tantũ cometá adparuiſſe ſcribit. Quid igitur hoc eſt,ſi non pro voto nobiſcum agit Cometa,id eſt quum lubet, & in cuius gratiá lubet,vel quidpiá aliud non ſatis hominibus perſpectũ? Boëthij ſcoti commẽdatio. Scotorum Reges numero.105.

At operæprecium fuerit hic etiam ſubſcribere quid de huiuſmodi prodigiis vel grauioribus ſenſerit idem Hector quũ hiſtoriam ſuæ gentis ſcriberet: quò maior ex tanto tamq; celebri viro,huic noſtro operi ſuccedat authoritas.Hectoris enim verba ſunt quæ ſequũtur·

Ex lib.3.

Hæc prodigia(inquit)ante ipſam pugná terroré plebi attulerát,Aruſpicibus ea Carataci caput,regniq; magnum incommodum exponétibus. Sed poſt confectũ bellum ſoſpite & incolumi Carataco Rege, in melius omnia ſunt interpretari cœpta. Et alibi·

Ex lib.4.

Perculerũt ea prodigia multis mortalibus animos, atq; in diuerſas traxerunt ſentétias, nonnullis(vt fit)ea in melius,aliis in deterius interpretantibus. Et rurſus alibi·

Ex lib.6.

Ea prodigia quũ Aruſpices quidam,ac mulieres fanaticæ Scotorum regni excidium portendere nunciarent,a Sacerdotibusvt vana ferentes deriſi,ne deinceps talia imprudenter effutirét,ſunt prohibiti. Tum etiá alibi·

Ex lib.10.

Hæc (vt fit)prodigia diuerſis modis diuinandi artis profeſſores ſunt interpretati. Alii enim portédere fœlicitatem populo,alii incommoda nunciarunt.

Hæc Boethius, & mille id genus alia, quæ lector ſtudioſus legendo obſeruabit. Vtinam hac tempeſta-

te tales haberemus Sacerdotes,qui Aſtrologorum conatus irritos facerent. Sic enim foret ſuccurrendum hominum ſuperſtitionibus, ne amiſſa Chriſti fiducia, paulatim ac ſenſim in Gentilium mores & Aegyptiorum vanitatem transferamur.

Nulli niſi inſani vana adſerunt.

Huc etiam ſpectat,quòd nullus cum neotericorum tum veterum ſit (de claſſicis tantum loquor) qui Cometam Regum Principúmve mortem portendere aſſeruerit. Quare reliquum eſt vt non ſatis conſtet,vera ſit nécne vulgarium,neſcio quorum,de Cometis fabula. Eapropter malum eſt in re dubia quidpiam ſiniſtrè ſuſpicari.

Vale. max. lib.1.cap.4. Ex concil. Toletano 4. cap.30. Tit.de malefic.& mathe.lib.5.

Prætereà, ſi non tam vana eſſent ſtellarum iudicia, nō exploſiſſent olim Genethliacos Chaldæósve Romani proceres à ſua Republica. Non damnaſſet diriſq; deuouiſſet Toletanum cōcilium. Non reieciſſent tanquam rem profanam atq; impiam diui, Hieronymus, Chryſoſtomus, Ambroſius, Auguſtinus, ac cæteri patres catholici. Non cauiſſet lege capitis in Codice Iuſtinianus Imperator. Deniq; non tā male audiuiſſent iā per tot ſecula apud probatos viros. Itaq; qui adhuc in hac re hæſitat,fruſtrà fidit Chriſto, qui noſtrum eſt caput vnicum,& non aſtra. Verum de his latius in noſtra aduerſum Aſtrologos Apologia.

Ethnici etiam prognoſtica rident.

Sed quid multis te moror? nonne & ipſi Ethnici Mathematica hæc riſerunt? Diogenes enim audiens quendam copioſè de rebus Aſtronomicis diſſerentem, Quantum (inquit) temporis interceſſit ex quo tu è cælis aduenisti? Phauorinus itidem, vt author eſt

Gellius,inquit:Aut aduerſa euentura dicunt, aut proſpera.Si proſpera,& fallunt:miſer fies fruſtrà expectando.Si aduerſa,& mentiuntur : miſer fies fruſtrà timendo.Si vera reſpondent,eaq; ſunt non proſpera:iam inde ex animo miſer fies,anteq̃ è fato fias. Si felicia promittunt,eaq; euentura ſunt : tum planè duo erunt incommoda:& expectatio te ſpei ſuſpenſum fatigabit,& futuri gaudii fructum ſpes tibi iam deflorauerit.Nullo igitur pacto vtendum eſt iſtiuſmodi hominibus res futuras præſagientibus. Gellius lib. 14.cap.1.

Accedit his facinus non incelebre, nec longè petitum, ſed noſtro natum tempore,idq; apud Henricum eius nominis ſeptimum Anglorum Regem, de quo parum felix Aſtrologus,ſed multorũ iudicio in ea arte Coryphæus quiſpiam,talia pronunciarat futura.Adſerebat equidem infantiſſimus vir Regem Henricum ex ſtellarum influxu ante natiuitatem domini eodẽ anno quo iſtæc prędixerat,ad feliciorem vitam migraturum. Quod cùm Regi eſſet nũciatũ, ad ſe Aſtrologũ vocari iuſſit,quem in hunc modum alloquutus eſt·Par eſt,vates egregie,vt qui de aliis pronuncias,te & tua fata ſcite teneas.Quare ex te ſcire cupio, quũ meũ prædices fatum, quid tibi imminere malorũ in hoc ſeruatoris noſtri natalitio exiſtimas?Tum etiam vbi futurus ſis?Qui cùm reſpondiſſet ſe benè habiturum,ac futurum domi ſuæ: illicò Rex inquit,Amice,non diuinaſti,fefellerunt te omnino aſtra. Nam (vt ego auguror) futurus es in Turri(eum locũ ſic vocant Londini, arcem munitiſſimã)vel prorſus me mea fallet,quã de te cõcepi,opinio.

Itaq; non Aſtrologus Rex, Aſtrologum vaniloquum vicit, quem iuſſit ſeruari in Turri toto illo domini natalitio: tum demum miſſum fecit. Quod exemplum ſi ſequerétur principes omnes, ne vnum quidem rerum vanarum ſomniatorem haberemus, & ſyncerè magis domino noſtro IESV Chriſto ſeruiremus, & iugiter obſequeremur.

Si cognoſcunt futura prognoſtici, cur toties delirãt? vel inter ſe diſſentiũt? Cui credẽdum potiꝰ? Deo. Is verè nouit futura, & nemo alius.

Sed quoties nobis imponent ſubdoli viri, dum perſuadent, ſe futura ex aſtris poſſe præſagire? Nonne & illud in tanto Mathematicorũ conſenſu fuit planè vaniſſimũ, quod anno domini M. D. XXIIII. in mẽſe Februarii ob coniunctionem omnium planetarũ in ſigno Piſcium, diluuium fore pronunciarũt? Quaſi vero huiuſmodi coniunctio nunquam antea contigerit. Irriſit ſubinde ingenioſiſſimè iſtorum male ominantiũ vanitatem Reuerendiſſimus D. Paulus Foroſempronienſis Epiſcopus, ſcribens ad S. D. Clementem Romanum Pontificem, » Stupidiſſimum ſanè id eſſe argumentũ, cui toti innitũtur, Coniunctiones enim planetarum accident in ſigno aqueo: Igitur diluuiũ imminet. Quanq̃ illa prior Piſcium portio, quæ coitũ hunc planetarũ recipiet, aëreæ ſit naturæ, & non aqueæ. Neq; ſecundũ ſigni naturam effectus accidunt, ſed magis ex affectione Planetarũ veluti authorum. hæc D. Paulus.

Non alienum tamen fuerit ab hoc negocio, ſubſcribere quid eo anno & mẽſe alicubi cõtigerit. Eſt in oppido percelebri riuulus, qui media illic perluit. Proinde quum exitioſam aquarũ inundationem pronũciaſſet quidã phyſicus, aſtrorũ vt ipſe de ſe iudicabat, non

ignarus

ignarus:ſubitò magiſtratus ære magno & impenſa flumen,ne in diluuio ædes ſubmergeret,auertit. Sed dictu mirum. Qua hora ſuſpectam inundationē habuit,flamma repente in aliquot ædibus coorta, in ſumma aquæ penuria viros optimos rebus nudauit. Indignum ſanè facinus, ſed cuius culpa omnis in impoſtorem phyſicum,& alios huiuſmodi,vulgò reiiciatur,qui de bonis aſtris peſſima quæq; nugantur. Atq; vtinam aliquando in eos animaduertant leges Conſtantini Cæſaris: forè arbitror,vt in maiore tranquillitate viuatur.

Interea ſuboritur alia ratio. Cometa enim cùm maxime adparet,fit extra Zodiacum, inter Tropicum Cancri,& Polum Arcticum. At ea cœli pars,tum etiã aëris ſuprema regio,omnibus Regibus Principibúsve Europæ(ſi vera tamen ſcribunt Geographi)eſt conſpicua. quare Cometa ab omnibus videtur. Eadem ratione,non vnius,ſed omnium mortem portendit. Nec vnquã obſeruatum eſt in quantumuis maximo Cometa,quòd omnes Europæ Reges ſimul perierint.Igitur res eſt admodum anceps,quem petat Cometa.Propterea æquè ſtultum eſt,vel id aſſerere,vel timere quod nihil habet certi,niſi quod ſuperſtitioſorum hominum vanitas confinxit.

O vanos aſtrologos quos hoc vnũ fefellit.

Illud etiam eſt animaduertendum maximè,quòd ſcientia de aſtris iudiciaria(ſi tamen vlla eſt)cum noſtra pugnat religione: dum omnia ſycophantæ huiuſmodi adſcribunt aſtris, quæ ſolius Dei nutu fieri credimus. Quid magis impium blaſphemúmve,quàm quod de domino noſtro IESV Chriſto pronunciant? In-

Deteſtãda eſt ea diſciplina, quæ ſacra eloquia cõtemnunt,diriſq; deuouent.

quiunt illi, aſcendente Geminorum ſydere, id eſt, Saturno Mercurióq; ſub Aquario iunctis in nona cæli plaga, naſci prophetam: ideóq; Chriſtum dominũ tot inclaruiſſe virtutibus, quia in eo loco Saturnũ habuerit in Geminis. Impium hominũ genus, quod quæ ſolius Dei ſunt, tribuit aſtris, & aſtrorũ conditorem, ac etiam nos liberos natos, ſyderũ ſeruos facit. Ac quũ ſciamus Deũ creaſſe omnia valde bona, illi ſtellas aliquot maleuolas, & ſcelerum authores malorúmq; influxuum tradunt, nõ abſq; maxima Dei cælorũq; iniuria, ſtatuẽtes in cæleſtibus, in illó diuino ſenatu mala & ſcelera facienda decerni. Et quicquid à nobis voluntatis culpa patratur, quicquid vitio materię in natura præter ordinem accidit, totum imputant ſyderibus. Sed horum inſaniam dudum retudit duodecim libris Io. Picus Mirandula, tanta copia, vt vix vllum prætererit argumẽtum: tanta autẽ efficacia, vt hactenus nec Aſtrologorũ turbæ hanc ab adductis à Pico rationibus tueri potuerint. Sed quid adhuc in vanitate atq; inuento Dæmonũ (vt inquit Picus) remoramur? de quo ſic in lege præceptum eſt: Quando ingreſſus fueris terram quam dominus deus tuus dabit tibi, caue ne imitari velis abominationes illarum gentium. Nec inueniatur in te qui luſtret filium ſuum, aut filiam, ducens per ignem: aut qui Ariolos ſciſcitetur, & obſeruet ſomnia, atque auguria. Nec ſit maleficus, nec incantator, neque qui pythones conſulat, nec diuinos, & quærat à mortuis veritatem. Omnia enim hæc abominabitur Dominus. Ac etiam illud: Iuxta vias gentium nolite diſcere, & à ſignis

Gen. cap. 1

Aug. lib. 5. ca. 1. de ciui. dei.

Io. Pici laus

Deutero. cap. 18. b.

Hierem. 10.

ſignis cæli nolite metuere,quæ timent gentes : quia leges populorum vanæ ſunt.

Proinde iam finem huic rei deſtinatum video, ſi tamen illud vnum admonuero,quod etiam Religio noſtra ſuadet,vt annotauit diuus Iohãnes Chryſoſtomus: Cuncta fuiſſe ab initio à deo opt.max.creata diſcriminatim diuiſimq́;:vt indicaret nobis ille rerum omnium opifex,nihil ab altero tanq̃ à ſua cauſa pendere,præterquã à ſe ipſo,qui ſolus eſt vnica ac ſimpliciſſima rerum creatarũ omnium cauſa.Et quemadmodum fieri videmus,nullum exiſtere effectũ niſi præcurrente cauſa: ita puerile eſt dicere creata ante ſydera,pendére nũc à ſyderibus tanq̃ à propria & genuina cauſa. Quod exemplo fiet manifeſtiùs. In mundi enim creatione,ante ſydera,vt videre eſt in diuinis dogmatibus, creatæ ſunt plantæ,herbæ,& huiuſmodi. Itaq; ſydera nõ ſunt cauſa plantarum,quæ vt factæ,ita eſſe potuerũt ſine aſtris. Ergo ſydera nullum in plantis producere valent effectum,niſi fortè iubente domino : vt colligi poteſt ex diuinis literarum oraculis, vel vno Chryſoſtomo ſuffragante. Quo fit,vt ſit abſurdiſſimum dicere,aſtra dominari in homine omnium creaturarũ nobiliſſimo, in cuius gratiã deus creauit vniuerſa,nõ vt illi dominarẽtur,ſed vnus homo cũctarũ rerũ haberet imperiũ.Subinde nõ parũ hallucinãtur,qui toties illud Ptolemęi tãq̃ de cęlo oraculũ inculcãt:Sapiẽs dominabitur aſtris. Nec ſapiens aſtris,nec aſtra ſapienti:ſed vtriq; dominabitur Deus.Ideoq; ſi aliquando moriuntur reges cùm apparet Cometa, non protinus neq; tam impiè fuerit

[Margin notes: Peroratio pientiſſima. — Gene.ca.1. — D.Aug.lib 5.cap.7.de Ciuit. Dei. Chryſoſt. homilia.4. i cap.1.Ge. Item Ambro. lib. 3. cap.6. Hexa.]

ipſi Cometæ adſcribẽdum,ſed diuinæ prouidentiæ ve-rius,quæ in numerato vel noſtros habet capillos, tantum abeſt vt ſe inſcia fieri poſſit quidpiam,cùm vel cogitãdi nullus ſine illius imperio nobis ſit relictus locus. Quarè perpetuo exorãdus eſt piẽtiſſimus IESVS, vt quãdo migrãdũ fuerit ex hac miſeriarũ valle,ſiue is fuerit rex, ſiue de promiſcua plebe aliquis, omniũ noſtrũ miſereatur:& ab ærumnoſa hac vita ad pacatiorẽ feliciter degendã deducat transferatq; ſuauiter. AMEN.

## APPENDIX.

Quę ſtella fuerit quæ nuper viſa eſt,
ex Ariſtotele diuinatio.

In ea cæli parte quæ Polo Arctico adſcribitur,inter Polum & Tropicum Cancri viſa eſt ſtella inſolitæ magnitudinis: quæ radios ad inſtar calamorum ardẽtium in campis,ſurſum promittebat.Primùm.8.Idus Augusti.1531.ab his viris bonis ſimul & piis,quos vulgò adpellãt Minores,è diui Franciſci familia apud Perthum in Scotia obſeruari cœpit,tum demũ à multis aliis, & nobis,etiã per multas noctes.Sed de ea varii varias ( vt Scilicet.18. ferè fit)ſententias protulere. Bona enim pars in eã ibat vulgi opinionem,quæ nunc & ante aliquot ſecula à ſuperſtitione quadam initiũ ſumpſiſſe videtur. Quã pro viribus hoc noſtro libello è loco ſuo detrudere labo-rauimns ſategimuſq;.Quod præſtiterimus,nécne, aliorũ eſto iudiciũ.Nihil tamẽ omiſimus quo verę Chriſti pietati foret cõſultũ.At nũc vrgẽt nõnulli,quid nos illud vnũ quod multorũ oculis eſt exceptũ, fuiſſe iudi-

cemus

cemus. Proinde nõ iã mea, ſed Ariſtotelis ſententia, quã do nihil (ſi tamẽ lubet Socrati omniũ philoſophrũ paréti in hac parte credere) verè ſciatur, id aperire tẽtabo. Inquit enim philoſophus, Cometa varias accipit formas. Aliquãdo enim flãmã in modũ criniũ circũquaq; diſpergit, qui crinitus dicitur: nõnũq; deorſum demittit, & tũc pogonia eſt, quẽ barbatum dicimus: interdũ ĩ latus ſe porrigit, & hũc dicũt caudatũ. Quidã præterea apparet Cometa per ſe, ſeparatimq;, & non directè ſuppoſitus aſtro: & hic ab aſtro nullã ſuarũ partiũ ſumit apparẽtiã, ſed totus eſt mixtũ imperfectũ igneũ. Alius autẽ apparet ſub aſtro, aliquãdo erratico, aliquãdo fixo, directè illi ſuppoſitus: quẽadmodũ Halonis circulus Soli, Lunæ, aut ſyderi clariſſimo directè ſupponitur. Et vtriuſq; horũ aliquis eſt crinitus, alius barbatus, alius verò caudatus. Inter vtrũq; tamẽ differẽtia eſt, quòd Halo fit per refractionẽ luminis ſuſcepti in nube ſubiecta aſtro lucido: & nõ per incẽdiũ. Cometa verò fit per inflãmationẽ exhalationis calidæ & ſiccæ: & nõ per refractionẽ. Itaq; ſi vera eſt Ariſtotelis de huiuſmodi impreſſionibus ſententia, ſtella illa quæ nuper ad aliquot noctes viſa fuit, Halona propius referre videbatur q̃ Cometẽ. Iudicio tamẽ multorũ, vt poſtea vẽtorũ procellæ docuit, merito Cometa dictus eſt: qui ſenſim vel ad motũ aſtri iam penè ad occiduã cæli regionẽ deflexit: vbi tamẽ (ſi vera ferũt naturaliũ rerũ cenſores) id eſt, in occaſura parte cæli nũquã Cometa reperitur. Hoc enim eſt noſtrũ, ſed ex philoſopho, in re dubia probabili ve iudiciũ. Apud Perthũ in Scotia. 13. Cal. Septẽb. 1531.

Plin. lib. 2. cap. 25. natur. hiſtor.

Nuptialis exultatio in Iacobi eius nominis quinti Scotorum Regis illuſtriſſimi,& dominæ Magdalenes Chriſtianiſſimi Frãcorũ Regis Frãciſci primi filiæ,matrimonio,per Iohannem Ferrerium Pedemontanum.

Gallia ter felix partu,ter Scottia felix
Prole ſua,ad teneros Scottia facta ſales.
Pone modum bello Rex inclyte,pone furorem
Martis:& his populis Palladis arma feras.
Mos fuit hic veterũ quondã regũq́;, ducumq́;:
O vtinam redeat mos hic,vt ante fuit.
Per te relligio longos ſeruata per annos
Conſtet:da Muſis ocia grata bonis.
Iura colas recti cuſtos,populiq́; querelas
Deturbes:pacis munera læta dato.
Sic vertet terram agricola , & ſic nauita fluctus
Sulcabit,tumidi verbera ſęua maris.
Pone modũ rebus cunctis,digniſſime Regum:
Sis felix,tecum & culta puella diu.
Gallia ter felix,felix ter Scottia:diuis
Gallia grata magis,Scottia grata magis.
Lilia terribili ſemper veneranda Leoni
Iuncta,precor ſuperent tempora Neſtorea.
Felix,ô nimium felix tu Gallia rege
Scottorum,& Gallo Scottia fauſta magis.
Viue diu,valeas,tecum & pulcherrima coniux,
Partus delicias,gaudia & apta ferat.
Pulcher Hymẽ,ſanctę Charites,formoſus Apollo,
Pulchra Venus faueat,filius & Veneris.

Voſq; omnes ſuperi tędas ornate iugales:
  Felix connubium,ſit ſine labe torus.
Pulcher Hymen votis faueas,longoſq; per annos
  Dulcis Hymen thalamo, dulcis Hymenq; toro.
Chriſte veni,cœptis venias dulciſſime I E S V:
  Dexter ades,Scottos prole beare tuos.
Naſcatur Scotto ſimilis,qui reddat vtrunq;
  Principium generis,delicias populi.
Gallia ſic felix fuerit,ſic Scottia felix
  Prole ſua,ad teneros Scottia facta ſales.

Ad R.Mag.eiuſdem diſtichon.

Salue ô progenies Regum pulcherrima,Regis
  Vxor:Dii faueant,Regia mater eris.

ἄλλον in tumulo R.Mag.

In me certarunt totas expromere vires
  Natura,& virtus , gloria,morſq; ſimul.
Eſſe bonam virtus tribuit,natura decoram,
  Eſſe breuis vitæ mors truculenta dedit.
Eripuit morti viuacem gloria famam,
  Vt penſet vitam perpete laude breuem.
Regia eram coniux,& regia filia,neptis
  Regia:ſpe & votis regia mater eram.
Sed ne tranſcendam mortalis culmen honoris,
  Inuida mors hîc me condidit ante diem.
Nata bis octonos Valleſia Magdalis annos,
  Hîc immaturo funere rapta tegor.
Quam raptam inuitis,fletu miſerabile vulgus,
  Mœſtitia proceres,vir pietate docet.

τέλος.

BIBLIOTECA N. ROMA VITTORIO EMANUELE